Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



non inuenisset ubi requiesceret pes eius reuersa est ad eum
in archam. Aque enim erant super uniuersam terram. Exten
ditque manum et apprehensam intulit in archam. Lectio ij.
Expectans noe ultra septem diebus aliis rursum
dimisit columbam ex archa. At illa uenit ad
uesperam portans ramum oliue uirentibus foliis in ore
suo. Intellexit ergo noe quod cessassent aque super terram. Expec
tauitque nichilhominus septem alios dies et emisit co
lumbam. que non est ultra reuersa ad eum. Lectio tercia
Igitur sexcentesimo primo anno prima die mensis in
minute sunt aque super terram. Et aperiens noe tectum
arche aspexit uiditque quod esset exsiccata superficies terre.
Mense secundo. septima et uicesima die mensis arefacta est
terra. Ad bn. ant. Si uos manseritis in sermone meo uere
discipuli mei eritis et cognoscetis ueritatem et ueritas liberabit uos.
Deus qui culpa offendis penitentia placaris. Collecta
preces populi tui supplicantis propicius respice et
flagella tue iracundie. que pro peccatis nostris meremur auerte.
Per. Ad. mag. Ego enim ex deo processi et ueni neque enim a me ipso
ueni sed pater meus ille me misit. Collecta.
Parce domine parce populo tuo ut dignis flagellationi
bus castigatus. in tua miseratione respiret. Per. Fr.
Locutus est dominus ad noe dicens. vj. Lectio prima
Egredere de archa tu. et uxor tua et filii tui et uxo
res filiorum tuorum tecum. et cuncta animantia que sunt
apud te ex omni carne. Et ingredimini super terram.
Crescite et multiplicamini super terram. Lectio ij.
Egressus est noe et filii eius uxor eius et uxores fi
liorum eius cum eo. Et cuncta animantia secundum ge